

cipes Venetorum clades cum risu ociosi spectarent . Quod sane non multos post annos evenit , qui ad id bellum compulsi , ab omni fere Christianorum auxilio non solum destituti sunt , sed intra Italiae etiam fines infidiis petiti . Sed hæc suo postea loco dicentur .

Nunc ad ea redeo quæ ad Galliae pacem secuta sunt : quorum illud maxime memorabile videtur , quod vix pene positis armis , aliud recens bellum propinquiore loco Veneto nomini pene renatum est . Repelebant Patres a Borsio Æstensi Bagnacavallum , quod Ravennatium finium esse constabat , ac quædam Polinesii loca . Missus ad id Ferrariam , qui nisi res redditæ essent , more majorum bellum Borsio Æstensi indiceret . Ille vero quietis Venetæque amicitiae studiosus , per legatum Principi & Senatui significavit , se pacem cum Veneto velle , non bellum : in eorum se fide & auctoritate futurum . Quo humanissimo responso arma , quæ jam prope sumpta erant , Patres continuerunt , prorsusque ab omni injuria abstinendum censuere . A terrestri inde motu ad rem maritimam conversi , duas onerarias adversus Navipactorem , hominem Veneti sanguinis , qui ignominia a suis popularibus affectus , piraticam exercere cœperat , instruendas curarunt . Indignum ducebant Patres , ex Veneto nomine ad eam diem extitisse quemquam , qui maria latrocinii infestaret , quæ ab initio urbis sui majores a simili injuria vindicassent . Sub id ferme tempus Victor Capellius ad Peloponnesi Principes est missus , qui quum ingens sibi periculum a Turcorum Imperatore imminere vidissent , Venetias miserant ad Principem & Senatum , qui de Peninsula eorum imperio subjicienda agerent : verum tantum sibi in Italia Veneti darent , quod satis esset , si non pro veteri , pro recenti saltem fortuna , ad honeste vivendum . Sub Capellii accessum Genuenses triremibus decem , & onerariis duodeviginti freti , spe potiundæ terræ proxime